



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XIII. De Destructione Castrorum Nakel & plurium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. XIII.

De

De destructione Castrorum Nakel & plurium.

Eodem anno & ætate venit alius Exercitus Fratrum & terram circumjacentem, Civitatem Briff. vastaverunt incendio & rapinâ. Et hoc facto processit exercitus & obsedit quoddam castrum, ubi obsessi tradiderunt id sub his pactis, ut salvis rebus recederent. Deindè processit exercitus prædictus ad duo castra alia, & ad castrum Nakel, quæ tria castra oppugnaverunt violenter successivè & captis omnibus & occisis, castra in cinerem converterunt. In hoc castro fuit Capitaneus quidam, Henricus nomine, miles, qui indifferenter Clericos & Laicos, Religiosos & seculares, & quoscunque præterentes spoliavit, & crudeliter molestavit. Hic captus fuit à Fratribus, & cum quærent ab eò, cur tot & tanta mala perpetrasset, respondit: Quia mihi nullus prohibuit, aut defendit. Ecce quomodo impunitas scelerum intentionem tribuit delinquendi.

CAP. XIV.

De

Vastatione territorii Wayken.

Anno Domini MCCCXXX. Comes de Marcha & de Mandu, & germanus Comitis de Juliaco cum multis militibus & Nobilibus de Almannia venerunt ad terram Prussia & tempore hyemali Magister venit ad terram & misit cum eis C. Fratres & 3000. Equitum, qui intrantes terram Lethovia, territorium, quod dicitur Wayken, incendio vastaverunt, & quia homines longè antè præmoniti fuerunt, prædam modicam receperunt.

CAP.